

morata quoque hierotheca, ex aëre sensim delapsa, sacro linteo infedit cum ingenti omnium, quotquot aderant, pietatis sensu. Rei porro totius seriem Archiepiscopus Bisontinus Ferdinandus de Longuy, causâ ritè cognitâ, typis vulgavit, missôque Romam ad Pontificem nuncio, Urbem, & orbem orthodoxum mista lætitiæ admiratione complevit. 2. Neapoli A. 1634. Marcellus Mastrillus Soc. IESU sacerdos è Lethifero contusi cranii vulnere ope S. Francisci Xaverii repente convaluit. Cujus, uti & plurimum miraculorum exinde consecutorum fama non solum Italiam pervasit universam, sed & Hispaniam, Lusitaniam, Indiam & Japoniam, ubi Marcellus gloriosum martyrium, pluribus pariter prodigiis illustratum, fortissimè subiit &c.

Seculum XVIII.

1. *Quinam Christi Vicarii ad hoc usque tempus Petri sedem tenuere?*

244. Clemens XI. ad 1721 | 246. Bened. XIII. ad 1730
245. Inocent. XIII. 1724 | 247. Clemens XII. vivat
feliciter!

2. *Quid de hisce Pontificibus memorandum?*

Clemens XI. virtutis & doctrinæ famâ celebratissimus Pontifex, temporibus longè difficillimis & turbulentissimis insigni sanè prudentia, circumspeditione, animique magnitudine ad Ecclesiæ gubernacula sedit annos amplius viginti, quibus septuaginta omnino Cardinales creavit. Innocentius XIII. dum Petri naviculam feliciter pergat gubernare, anno Pontificatûs tertio ad æternitatis portum appellit.